Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Epistola ad Phylipenses

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

dei ut possitis stare adversus insidias dyaboli.
quia non est nobis colluctatio adversus carnem
et sanguinem sed adversus principes et pote-
states adversus mundi rectores tenebrarum
harum. contra spiritalia nequitie in celestibus.
Propterea accipite armaturam dei. ut possitis
resistere in die malo. et in omnibus perfecti
stare. State ergo succincti lumbos ve-
stros in veritate. induti loricam iustitie.
et calciati pedes in preparatione evangelii pacis. in
omnibus sumentes scutum fidei. in quo pos-
sitis omnia tela nequissimi ignea extin-
guere. Et galeam salutis assumite. et
gladium spiritus. quod est verbum dei. per omnem
orationem et obsecrationem orantes omni tempore
in spiritu. et in ipso vigilantes. in omni instantia
et obsecratione pro omnibus sanctis et pro me. ut
detur mihi sermo in apertione oris mei cum
fiducia. notum facere mysterium evangelii pro
quo legatione fungor in cathena. ita
ut in ipso audeam prout oportet me loqui.
sed verbum dei non est alligatum. Ut autem et vos
sciatis que circa me sunt quid agam. omnia
nota faciet vobis tychicus karissimus frater
meus. et fidelis minister in domino. quem mi-
si ad vos in hoc ipsum ut cognoscatis que
circa nos sunt. et consoletur corda vestra.
Pax fratribus et caritas cum fide a deo patre
nostro et domino ihesu christo. Gratia vobis cum omnibus
qui diligunt dominum nostrum ihesum christum in
incorruptione. amen. Explicit epistola ad ephesios.

Incipit prologus ad philipenses.

Philipenses ipsi sunt
macedones. Hii ac-
cepto verbo veritatis
perstiterunt in fide nec
receperunt falsos apostolos. Hos collau-
dat apostolus scribens eis a roma de carcere
per epafroditum. Incipit epistola ad philipenses.

Paulus
et thimotheus
servi ihesu christi
omnibus sanctis
in christo ihesu
qui sunt philip-
pis. cum episcopis
et dyaconibus.
gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu
christo. Gratias ago deo meo in omni me-
moria vestri semper in cunctis orationibus
meis pro omnibus vobis. cum gaudio
deprecationem faciens. super communi-
catione vestra in evangelio christi a prima die
usque nunc. confidens hoc ipsum. quia qui
cepit in vobis opus bonum perficiet usque in
diem christi ihesu. sicut est mihi iustum hoc
sentire pro omnibus vobis eo quod habeam vos in
corde et in vinculis meis et in defensione
et confirmatione evangelii socios gaudii mei omnes
vos esse. Testis enim mihi est deus. quomodo cupi-
am omnes vos in visceribus christi ihesu. Et hoc
oro ut caritas vestra magis ac magis habun-
det in scientia et omni sensu. ut probetis poti-
ora. ut sitis sinceres et sine offensa in diem
christi. repleti fructu iustitie per ihesum christum in
gloriam et laudem dei. Scire autem volo vos fratres
quia que circa me sunt. magis ad profectum
venerunt evangelii. ita ut vincula mea ma-
nifesta fierent in christo in omni pretorio et in ce-
teris omnibus. ut plures e fratribus in domino confi-
dentes in vinculis meis habundantius aude-
rent sine timore verbum dei loqui. Quidam
quidem et propter invidiam et contentionem. quidam autem
et propter bonam voluntatem christum predicant.
quidam ex caritate scientes quoniam in defensi-
one evangelii positus sum. quidam autem ex contentione
christum annuntiant. non sincere existimantes
pressuram se suscitare vinculis meis. Quid

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

eius dum omnimodo sive per occasionem sive
per veritatem christus annuntietur. Et hoc gau-
deo sed et gaudebo. Scio enim quia hoc mihi pro-
veniet ad salutem per vestram orationem et
subministrationem spiritus ihesu christi secundum expecta-
tionem et spem meam quia in nullo confun-
dar. sed in omni fiducia. sicut semper et
nunc magnificabitur christus in corpore meo.
sive per vitam sive per mortem. Michi enim vi-
vere christus est. et mori lucrum. Quod si vivere
in carne hic mihi fructus operis est. et quid
eligam ignoro. Coartor autem e duobus
desiderium habens dissolvi. et esse cum christo.
multo magis melius. permanere autem in car-
ne necessarium est propter vos. Et hoc confi-
dens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis
ad profectum vestrum. et gaudium fidei. ut
gratulatio vestra habundet in christo ihesu in me
per meum adventum iterum ad vos. Tantum di-
gne evangelio christi conversamini. ut sive cum ve-
nero et videro vos. sive absens audiam
de vobis quia statis in uno spiritu unanimes
conlaborantes fidei evangelii. Et in nullo terreamini
ab adversariis. que est illis causa perditionis. vobis
autem salutis. Et hoc a deo. quia vobis donatum
est pro christo. non solum ut in eum credatis. sed
etiam ut pro illo patiamini idem certamen habentes
quale et vidistis in me. et nunc audistis de me.

II

Si qua ergo consolatio in christo.
si quod solatium caritatis. si qua
societas spiritus. si qua viscera miserationis. im-
plete gaudium meum ut idem sapiatis ea-
dem caritatem habentes unanimes id ipsum
sentientes. nichil per contentionem neque per in-
anem gloriam. sed in humilitate superiores
sibi invicem arbitrantes. non que sua sunt sin-
guli considerantes. sed ea que aliorum. Hoc enim
sentite in vobis quod et in christo ihesu. Qui cum
in forma dei esset. non rapinam arbitratus est esse

se equalem deo. sed semetipsum exinanivit
formam servi accipiens. in similitudinem
hominum factus. et habitu inventus ut homo. Hu-
miliavit semetipsum factus obediens usque
ad mortem. mortem autem crucis. Propter quod
et deus illum exaltavit. et donavit illi nomen
quod est super omne nomen. ut in nomine ihesu
omne genu flectatur. celestium terrestri-
um et infernorum. et omnis lingua confi-
teatur quia dominus ihesus christus in gloria est dei patris.
Itaque karissimi mei sicut semper obedistis.
non ut in presentia mea tantum. sed multo ma-
gis nunc in absentia mea cum metu et
tremore vestram salutem operamini. Deus enim
est qui operatur in vobis. et velle et perficere
pro bona voluntate. Omnia autem facite
sine murmurationibus et hesitationibus
ut sitis sine querela. et simplices sicut
filii dei inmaculati. sine reprehensione in
medio nationis prave et perverse inter quos
lucetis sicut luminaria in mundo. verbum
vite continentes ad gloriam meam in die
christi. quia non in vacuum cucurri neque in vacuum
laboravi. Sed et si immolor supra sacrificium
et obsequium fidei vestre gaudeo et gratu-
lor omnibus vobis. Idipsum autem et vos gau-
dete. et congratulamini michi. Spero autem in domino
ihesu. timotheum cito me mittere ad vos.
ut et ego bono animo sim. cognitis que circa
vos sunt. Neminem enim habeo tam una-
nimem qui sincera affectione pro vobis
sollicitus sit. Omnes enim que sua sunt querunt.
non que sunt christi ihesu. Experimentum autem eius
cognoscite. quoniam sicut patri filius mecum ser-
vivit in evangelio. Hunc igitur spero mittere
me ad vos. mox ut videro que circa me
sunt. Confido autem in domino quoniam et ipse
veniam ad vos cito. Necessarium autem ex-
istimavi epafroditum fratrem et coopa-

torem ⁊ cōmilitonem meū· uestrū aūt apl'm.
⁊ ministrum necessitatis mee mittere
ad uos· qm̄ quidē omīs uos desiderabat.
⁊ mestus erat· ꝓpterea q̄d audieratis
illum infirmatum· Nam ⁊ infirmat̄ ē
usq; ad mortē· s; d's miser̄t ē eius· Nō
solum aūt eius· uerū etiam ⁊ mei· ne
tristitiam sup tristitiam hrem· Festinantī
ergo misi illum ut uiso eo itm̄ gaudea
tis· ⁊ ego sine tristitia sim· Excipite itaq;
illum cum ōī gaudio in dn̄o· ⁊ eiusmōi
cum honore hēbote· qm̄ ꝓp opus xp̄i
usq; ad mortem accessit· tradens aīā
suam ut impleret id q̄d ex uob' deerat
erga meū obsequium.

III

De cetero f̄res mei gaudete in dn̄o
Eadem uob' scribe̅ m̄ quidem n̄
pigrum· uob' aūt necessarium· Videte
canes· uidete malos operarios· uidete ɔ
cisionem· Nos aūt sumus circūcisio q̄
sp̄u deo seruim̄ ⁊ glamur in xp̄o ihū·
⁊ n̄ in carne fiduciam hn̄tes q̄mq̄ ego
hēam ɔfidentiam ⁊ in carne· Siquis
alius uidetur ɔfidere⁺ ego magis cīrcūm
cisus octaua die ex genē isrl' de tribu
beniamī· hebreus ex hebreis· sc'dm le
gem phariseus· sc'dm emulationē ꝑseqñ'
ecclīam dei· s'm iustitiam que in lege est
ɔu'satus sine querela· S; q̄ m̄ fuerūt
lucra· hec arbitrat̄ sum ꝓp xp̄m detrimta.
Verūtm̄ ⁊ existimo omnia detrimentū
ēē ꝓp eminentē sciām ihū x̄ dn̄i mei· ꝓp
quē omnia detrimentū feci ⁊ arbitror ut
stercora· ut xp̄m lucrifaciā· ⁊ inueniar
in illo n̄ hn̄s meā iustitiam que ex lege
ē· s; illam que ex fide ē xp̄i· que ex deo ē
iustitia in fide ad agnoscendū illū· ⁊ uir
tutem resurrectionis eius· ⁊ societatē
passionis illius· ɔfiguratꝰ morti eiꝰ· si
quomōm occurram ad resurrectionē q̄ ē ex
mortuis· n̄ q̄ iam accepeī· aut iam ꝑ
fect' sim· sequor aūt si ɔphendam· in quo
⁊ ɔphensus sum a xp̄o ihū· F̄res ego me
n̄ arbitror ɔphendisse· Vnū aūt que quidē
retro sunt obliuiscens· ad ea uero que s̄
priora extendens meipm̄· ad destinatū
ꝑsequor ad brauiū supne uocatiōis dei
in xp̄o ihū· Quicūq; ergo pfecti sum' hoc
sentiam'· Et siquid aliter sapitis ⁊ hoc
uob' d's reuelauit· Verūtm̄ ad q̄d puenim'
ut idem sapiamus· ⁊ in eadem ꝑmane
am' regula· Imitatores mei estote f̄res·
⁊ obseruate eos qui ita ambulant· sicut
hetis formā nr̄am· Multi enī ambl'ant
quos sepe dicebam uob'· nunc aūt ⁊ flens
dico· inimicos crucis x̄· quor̄ finis int'it'.
quor̄ d's uent' est ⁊ gl'a in ɔfusiōe ipor̄
qui t'rena sapiunt· Nr̄a aūt ɔuersatio ī
cel' est· Vnde etiā saluatorem expectam'
dn̄m ihm xp̄m qui reformabit corp' hu
militatis nr̄e· ɔfiguratū corpi claritatis
sue· sc'dm operationem qua possit etiā s̄b
icē sibi omnia.

IIII

Itaq; f̄'s mei kmī ⁊ desiderantissimi·
gaudiū meū ⁊ corona mea· sic state in
dn̄o kmī· Euchodiam rogo· ⁊ sinticen dep
cor· idipm̄ sapē in dn̄o· Etiam rogo et te
germane ɔpar· adiuua illas que mecū
laborauint in euū· cum clemente ⁊ cetis
adiutoribz meis quor̄ nomīa s̄ i libro
uite· Gaudete in dn̄o semp· itm̄ dico gau
dete· Modestia ur̄a nota sit omībz hoībz.
Dn̄s ꝓpe est· Nichil solliciti sitis· s; i omī
orōne ⁊ obsecratione cū grār̄ actione· pe
titiones ur̄e innotescant apud dm̄· Et pax
dei que exupat omnē sensū· custodiat
corda ur̄a ⁊ intelligentias ur̄as in xp̄o
ihū· De cetero f̄res q̄cūq; sunt uera

+ i carne

quecumque pudica · quecumque iusta · quecumque sancta ·
quecumque amabilia · quecumque bone fame · si
qua virtus · si qua laus discipline · hec cogi-
tate que et didicistis et accepistis et audi-
stis et vidistis in me. Hec agite · et deus pa-
cis erit vobiscum. Gavisus sum in domino ve-
hementer quoniam tandem aliquando refloruistis
pro me sentire sicut et sentiebatis. Occu-
pati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico.
Ego enim didici in quibus sum sufficiens
esse. Scio et humiliari · scio et habundare. Ubi-
que et in omnibus institutus sum · et satiari et
esurire · habundare et penuriam pati. Omnia
possum in eo qui me confortat. Verumtamen
bene fecistis communicantes tribulationi mee.
Scitis autem et vos philippenses quod in principio
evangelii quando profectus sum a macedonia nul-
la mihi ecclesia communicavit in ratione dati
et accepti · nisi vos soli · quia et thessalonicam
semel et bis in usum mihi misistis. Non quia quero
datum · sed requiro fructum habundantem in
ratione vestra. Habeo autem omnia et habundo.
Repletus sum acceptis ab epafrodito que
misistis odorem suavitatis · hostiam ac-
ceptam placentem deo. Deus autem meus impleat
omne desiderium vestrum secundum divitias suas
in gloria in christo ihesu. Deo autem et patri nostro
gloria in secula seculorum amen. Salutate omnem
sanctum in christo ihesu. Salutant vos qui mecum
sunt fratres. Salutant vos omnes sancti · maxi-
me autem qui de cesaris domo sunt. Gratia domini
nostri ihesu christi cum spiritu vestro. Amen. Explicit
epistola ad philippenses. Incipit prologus ad Co-
losenses.

Colosenses et hii sicut laodice-
nses sunt asiani et ipsi
preventi erant a pseu-
do apostolis. Nec ad eos
accessit ipse apostolus. sed et hos per epistolam cor-
rigit. Audierant enim verbum ab archippo
qui et ministerium in eos accepit. Ergo apo-
stolus iam ligatus scripsit eis ab epheso per
tychicum diaconem et onesimum acolitum.

Incipit Epistola ad Colosenses.

Paulus
apostolus christi ihesu
per voluntatem dei et
timotheus
frater his qui
sunt colo-
sis sanctis
et fidelibus fratribus in christo ihesu. gratia vobis
et pax a deo patre nostro. Gratias agimus
deo et patri domini nostri ihesu christi semper pro
vobis orantes. audientes fidem
vestram in christo ihesu et dilectionem quam
habetis in omnes sanctos. propter spem que
reposita est vobis in celis. quam audistis in
verbo veritatis evangelii quod pervenit ad vos
sicut et in universo mundo est et fructificat
et crescit. sicut et in vobis. ex ea die qua audi-
stis et cognovistis gratiam dei in veritate
sicut didicistis ab epafra carissimo
conservo nostro · qui est fidelis pro vobis minister
christi ihesu. qui etiam manifestavit dilecti- nob
onem vestram in spiritu. Ideo et nos ex qua die
audivimus non cessamus pro vobis orantes et
postulantes · ut impleamini agnitione
voluntatis eius in omni sapientia et intelle-
ctu spiritali · ut ambuletis digne deo
per omnia placentes · in omni opere bono
fructificantes et crescentes in scientia dei
in omni virtute confortati secundum potentiam
claritatis eius in omni patientia et lon-
ganimitate cum gaudio · gratias agentes
deo patri · qui dignos nos fecit in partem sor-
tis sanctorum in lumine. Qui eripuit nos de